Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



16

seducat vos quomodo: qui nisi venerit discessio primum. et revelatus fuerit homo peccati filius perditionis qui adversatur et extollitur super omne quod dicitur deus aut quod colitur ita ut templum dei sedeat ostendens se tanquam sit deus. nonne tenetis quod cum adhuc esset apud vos hec dicebam vobis. Et nunc quid detineat scitis: ut reveletur in tempore suo. Nam mysterium iam operatur iniquitatis: tantum ut qui tenet nunc teneat donec de medio fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus quem dominus ihesus interficet spiritu oris sui et destruet illustratione adventus sui. Tractus:

Qui regis israel intende qui deducis velut ovem ioseph. Qui sedes super cherubim appare coram effraim. Excita domine potentiam tuam et veni ut salvos facias nos.

Hymnus quidem nunc dicitur. Secundum Lucam: 3°

Anno decimo quinto imperii tiberii cesaris procurante pontio pilato iudeam tetrarcha autem galilee herode. philippo autem fratre eius tetrarcha ituree et trachonitidis regionis et lysania abilene tetrarcha sub principibus sacerdotum anna et caiphas factum est verbum dei super iohannem filium zacharie in deserto. Et venit in omnem regionem iordanis predicans baptismum penitencie in remissionem peccatorum: sicut scriptum est in libro sermonum ysaie prophete. Vox clamantis in deserto. Parate viam domini: rectas facite semitas eius. omnis vallis implebitur: et omnis mons et collis humiliabitur: et erunt prava in directa et aspera in vias planas. Et videbit omnis caro salutare dei nostri. Offertorium